



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

Leiunare per se non est bonum opus

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

homines coram illis sese prosternunt, manus & oculos ad eas attollunt, luminaria & thymiamata illis accendent, vestes aliisque id genus ornamenta appendunt, similisque cultus & honores offerunt, ad veneracionem Dei & sanctorum eius. Idem & sancti Patres omnes ex verbo Dei agnouerunt & senserunt, usque ad tempora D. Gregorij. Postea vero una cum aliis multis idolatriis simulachrorum quoque cultus exortus est: quem omnis Christianus, qui Domini sui verbum recte agnoscit, ex toto corde fugiet & abominabitur: non curans quid omnes idolorum propugnatores tam antiqui quam recentes suæ imaginum venerationi ac cultui praetexant. Id verum est, quod est primum: in quo omnes filii Dei perseverabunt. Amen.

Decimanona Accusatio.

De Ieiunio.

Ieiunare per se non est bonum opus.

Ieiunare sine spontaneo ac per se incitante spiritu, magis est hominum quam Dei cultus.

Quomodo teneamur ad Ieiunium.

De discrimine ciborum.

De merito Ieiunij.

De ludibrio quod exercetur cum Horis in diebus Ieiuniorum.

De triduano Ieiunio Pauli.

C A P V T L I .

AEc Accusatio instituta est ab Aduersariis contra Articulum de Ieiunio, habetque septem partes.

H Prima est, Quod liber doceat, Ieiunium non esse opus per se bonum, aut prius cultum Dei. Verum Deus ipse hoc affirmauit, Es. 58. & omnes S. Patres. Nisi enim plena sui ipsius traditio in omne placitum ac voluntate Dei fuerit cum Ieiunio coniuncta, ad eamque promouendam suspiciatur Ieiunium, Dominus id reiicit, ac spernit. Hac de re legantur sua ipsius verba apud Prophetam, & omnes sermones doctrinae S. Patrum de Ieiunio.

Secunda pars est, Librum docere, quod Ieiunium nemini possit mandato imponi. At certum est, omne quod non a spontanea mente & ex amore Dei fit, Domino placere non posse. Ordinanda Ieiunia sunt, & homines ad id admonendi, sicut liber Reformationis docet. Quando autem aliquis non ex cōtritione ac dolore de peccatis suis, serioque desiderio donum orandi & inuocandi, corpūisque suum subiiciendi ieiunat, sed tantum ex coactione mandatorum hominum, vel consuetudine, de illo testatur Dominus, quod frustra se colat, imo non se, sed potius homines qui ei Ieiunium iniunxerunt.

Tertia pars est, Librum habere, quod veteres nullum Ieiunium precepint: sed tantum consueuisse eos ad id admonere, & conscientias, quā-